Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 863
Quelle:
Copyright:

nisi quod inter *Homiliam* XX. et XXI. inserta sit, quam *Mauriani Orationem ad Plebem de Mortalitate* adpellant, et post omnes *Homilias* ad *col.* 1660. remittunt. Haec in Codice terminatur: *sententia postposita dampnacionis parcat;* nec adjunctam habet illam *Litaniarum* dispositionem. Et vero lectio mox adlata praeferenda videtur Maurianae: *a sententia propositæ damnationis parcat*, et plures aliae, quae non erant in Editorum Codicibus, occurrunt. Ita v. g. in fine *Hom.* XXXI. non spernendum: *quia tergent citius transeuntes lacrime maculas, vt ad gaudia mansura peruenire mereantur*, pro: *quia tergent citius transeuntes lacrimas mansura gaudia;* quod Edita habent. Adjecta est in Codice Series quaestionum genealogicarum in Initium Evangelii *Matthaei* inscripta: *Omelia lectionis eiusdem*, et inchoans: *Querendum est quare sic exorsus est ewangelium* &c. Verum boni illi Majores ad *Homiliam* satis esse rebantur, si cuicunque Tractationi ad calcem adpenderent: *Qui vivit et regnat* &c. In praesenti excitatur *Beatus Augustinus.*

CCCLXXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 82. f. min. pulcre perscriptus, rubricis distinctus, et olim *Montis Pomerii* Ord. *Cisterc.* valles ceterum amantis, praemissis Capitum Titulis ita minio insignitur: *Incipit Liber Pastoralis cure beati Gregorii. pp. Vrbis Rome.* Opus extans edit. *Maur.* T. II. *Paris.* 1705. *col.* 1. et a me saepius jam relatum insit: *Pastoralis curę me pondera fugere delitescendo uoluisse* &c. Textus sinceritate non adsequitur Edita, quanquam secundis curis adjutus; imo hae curae non semper felices fuerunt. Ita, ubi c. 2. recte legebatur: *dum, qui pigmentorum uim nesciunt, uideri medici carnis erubescunt*, pejus nunc: *dumque pigmentorum uim nesciunt, uideri medici carnis non erubescunt.* Post Operis clausulam, qui pravus mos non paucos Codices foedavit, calamum quis expertus inter alia ἄλογα hunc versum adscripsit: R. 3088

Nummus in abbatum cameris retinet dominatum.

CCCLXXXVIII.

U. 95 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 110. 4. luculente scriptus, et quibusdam ternionibus rescriptus, raso priore Evangeliorum, ut docent quaedam vestigia, textu, rubricis item distinctus continet S. *Gregorii M. Pastorale* absque divisione in Libros, Capitumve numeris decurrens, mulctatum vero post *fol.* 60. membrana una, post *fol.* 78. altera, et in fine *Codicis* tertia ita, ut definat in haec *Partis* IV. verba: *legalis thori connubium deserens corruptori* — —

Ini-